

officium liberali' : postquam ad iudices  
ventumst, non potuit cogitata proloqui ;  
ita eum tum timidum ibi obstupescit pudor.

285 *GE.* laudo hunc, sed cesso adire quam primum senem ? 55

ere, salve : salvom te advenisse gaudeo. *DE.* oh  
bone custos, salve, columen vero familiae,  
quoi commendavi filium hinc abiens meum.

*GE.* iamdudum te omnis nos accusare audio  
290 inmerito et mē ōmniū horūc inmeritissimo. 60

nam quid mē in hac re facere voluisti tibi ?  
servom hominem causam orare leges non sinunt  
neque testimoni dictiost. *DE.* mitto omnia ;

đō ĩstuc " inprudens timuit adulescens " ; sino  
295 " tu servo's " ; verum si cognata est maxume, 65

non fūit necessum habere ; sed ĩd quod lex iubet,  
dotem daretĭ', quaereret alium virum.

qua ratione inopem potiu' ducebat domum ?

*GE.* non ratio, verum argentum deerat. *DE.* sumeret  
300 alicunde. *GE.* alicunde ? nil est dictu facilius. 70

*DE.* postremo si nullo alio pacto, fenore.

*GE.* hui dixti pulchre ! siquidem quisquam crederet  
te vivo. *DE.* non, non sic futurumst : non potest.  
egon illam cum illo ut patiar nuptam unum diem ?

305 nil suave meritumst. hominem conmonstrarier 75  
mihi ĩstum volo aut ubi habitet demonstrarier.

*GE.* nemp' Phormionem ? *DE.* istum patronum mulieris.

*GE.* iam faxo hic aderit. *DE.* Antipho ubi nunc est ?

*GE.* foris.